CHIMÆRA GALLICANA


CONTINENS

AXIOMATA POLITICA IMPERII GALLICANI.

Deducta ex Tractatu

DES JUSTES PRETENTIONS DU ROY SUR L'EMPIRE.

Par le Sr. AUBERY Advocat au Parlement, & aux Conseils du Roy : imprimé avec Privilege du Roy.



A PARIS,
Chez ANTOINE BERTIER ; ruë S. Jacques, à l'enseigne de la Fortune, 1667.

Monstrum horrendum, informe, ingens, cui lumen ademptum.

REGIBUS, PRINCIPIBUS, ET POTESTATIBUS D. C.

Extrait du Privilege du Roy.

PAR Lettres, Patentes du Roy en forme de Privilege données à Paris le 19. Juillet 1649. Signées par le Roy en son Conseil, DEMONCEAUX, & Seellées du grand Sceau de cire jaune. Il est permis au Sieur AUBERY Advocat en Parlement, de faire Imprimer un Traitté des Droits de *Préeminence de nos Roys sur l'Empereur, &c.* en telles marges, en tels caracteres, & autant de fois que bon luy semblera, durant l'espace de sept ans entiers & accomplis, à compter du jour qu'il sera achevé, & est fait defenses à toutes personnes, &c.

Et ledit Sieur AUBERY a cedé son Privilege à ANTOINE BERTIER, suivant l'accord fait entr'eux.

Achevé d'Imprimer pour la premiere fois le 3. Decembre 1666.

AXIOMA EXORDII LIBRI PRIMI.

AD defendendum Principem & Patriam quilibet ſubditus ac civis, tanquam in cauſa publica, debet fieri miles, vel calamo ſimul & enſe, vel minimùm alterutro. Pag. 1. & 2.

JUSTARUM PRÆTENTIONUM REGIS SUPER IMPERIUM

LIBER PRIMUS,

Capita continet tria, quorum Tituli ſunt hi:

AXIOMATA
Capitis primi.

1. MOnarchia Francica adeò longum jam duravit temporis ſpatium, & adeò ſpecialem experta eſt Protectionem Divinam, ut utrumque meritò admirentur omnes Hiſtorici, non ſolùm Francici, verùm etiam exteri. pag. 2. & 3.

2. Urbs Pariſina optimo jure rivalis eſt Antiquæ ſimul & Novæ Romæ; utpote cujus gloriam non tantùm æquavit, ſed & ſuperavit. pag. 3.

3. Urbs Pariſina inde à Clodovæi I. temporibus fuit & etiam nunc eſt ſedes Monarchiæ Francicæ, ideoque ſemper inter Hæredes ejuſdem Monarchiæ de poſſeſſione iſtius Urbis ambitiosâ contentione certatum eſt. pag. 3. *Contrarium vide pag.* 46. *utpote ubi aſſeritur ſedem Monarchiæ Francicæ fuiſſe Aquiſgrani.*

4. Primum Monarchiæ Francicæ

Jus super Hispaniam fundatum est victoriosis expeditionibus Regis Childeberti I. corroboratum fortitudine Caroli Magni, & denique consummatum nativitate & successione S. Ludovici. pag. 7. & 8.

5. Monarchia Francica duravit jam diutiùs, quàm Respublica Romana & Imperium Romanum conjunctim, & tanto temporis spatio non nisi bis mutationi stirpis regnatricis fuit obnoxia. pag. 10.

6. Tanta est Francorum erga Reges suos amor & reverentia, ut quoscumque potiùs vel maximè degeneres tolerent, quàm successionem legitimam interrumpendo violent. pag. 11.

7. Clodovæus & Ludovicus unum atque idem est nomen, & quidem adeò augustum, ut meliori jure hoc deberet esse commune omnibus Regibus Franciæ, quàm nomen Cęsaris commune est Romanis Imperatoribus. pag. 13.

8. Ludovicum XIV. Posteritas fatebitur heroïcis actionibus suis fœliciter delevisse gloriam Caroli Magni, & longissimè superasse tàm fortitudine, quàm sapientiâ omnes præcedentes Reges Franciæ. pag. 15.

9. Rex Franciæ Ludovicus XIV. existimationem hanc extraordinariam universaliter jam sibi acquisivit, ut omnes persuasissimum habeant, Imperium ipsius non terminandum esse nisi Cœlo & Oceano. pag. 15.

10. Ludovicus XIV. alter Clodovæus primus est, & secundus fundator Monarchiæ Francicæ; cui non solùm tituli debentur A DEO DATI, ACQUISITORIS, & AUGUSTI, verùm etiam MAXIMI, qui ultimus titulus nulli præcedentium Regum Franciæ unquam anteà datus est. pag. 16. & 17.

AXIOMATA

Capitis secundi.

1. REges Franciæ arctiorem, efficaciorem & digniorem contrahunt cum Regni sui Statibus conjunctionem, quàm Episcopi cum suis Ecclesiis. pag. 19.

2. Princeps supremus atque absolutus non potest abdicare se Imperio suo, & dissolvere hâc ratione contractum inter se atque suos subditos; uti fecit olim Papa Cælestinus V. spontè, & Imper. Ludovicus Pius coactè. pag. 20. 21. 22. 23.

3. Sextus liber Decretalium in Franciâ damnatus & prohibitus est, cùm propter autorem ejus Papam Bonifacium VIII. cujus memoria Francis odiosa est, tùm propter doctrinam, quæ eo continetur, & moribus legibusque Franciæ adversatur. pag. 22.

4. Franci in obediendo Principi-

bus suis cœcos se esse gloriantur. pag. 23.

5. Abdicatio Principum sive voluntaria, sive coacta, præjudiciosa est Monarchiæ. pag. 23.

6. Communis est opinio & existimatio, quam sibi Franci quolibet tempore acquisiverunt, Idololatras eos esse suorum Regum, vel minimùm Adoratores. pag. 24.

7. Quæcumque ad Regem Franciæ, antequam regnare inciperet, pertinuerunt, ea omnia cùm regnare incipit, pleno jure uniuntur Coronæ, ita ut nulli dissolutioni aut separationi in perpetuum sint obnoxia. pag. 26.

8. Novæ Regum acquisitiones non solùm Regis, sed & ipsius Regni sunt. pag. 27.

9. Quicunque à Regibus Franciæ subjugantur populi & regiones, ii eæve, omissis prioribus nominibus, communi Francorum & Franciæ nomine sunt comprehendendi, eâque ratione Saxones à Carolo Magno

Fran-

Francis olim uniti ſunt. pag. 28. 29. 30.

10. Monarchia Francica ad imitationem antiqui Imperii Romani unico tantùm utitur ſimplici titulo, & magis affectat frui diviti prædâ ſuarum acquiſitionum, quàm vanis ornari ſubjugatarum Nationum inſcriptionibus. pag. 28.

11. Francica Natio totum Mundum jam implevit terrore ſui nominis, adeò ut jam meruerit appellari Orbis Terrarum Domina. pag. 29.

12. Rex Franciæ, ſi velit, poteſt etiam uti titulo acquiſitarum Regionum, uti Henricus III. ſemper uſus eſt titulo Regis Poloniæ, & Henricus IV. titulo Regis Navarræ, pag. 30. 31.

13. Quemadmodum Sigillum Regis Franciæ non debet aliud continere Inſigne, quàm tria Lilia, ſic neque Rex Franciæ in ſolemnibus & magni momenti Actibus non debet aliâ uti inſcriptione, quàm ſolâ Regis Franciæ. pag. 31.

AXIO-

AXIOMATA

Capitis tertii.

1. PAtrimonium & Jura Coronæ non possunt per quemlibet Monarcham, licet absolutissimum, alienari, quoniam is meliorem quidem reddere potest suam & Successorum conditionem, non autem deteriorem. pag. 32. 33.

2. Alienationes patrimonii Regii non valent nisi vivente Rege, qui alienavit. pag. 35.

3. Lege Salicâ Jura Coronæ Franciæ sunt inalienabilia. pag. 39.

4. Patrimonium & Jura Coronæ non magis præscribi possunt, quàm alienari. pag. 40. 41.

5. Regulæ Juris non congruunt semper axiomatibus Politicis. pag. 41.

4. Principi læso dissimulandus est dolor, donec opportuna ulciscendæ injuriæ se offerat occasio. pag. 41.

JUSTA-

JUSTARUM PRÆTENTIONUM REGIS SUPER IMPERIUM

LIBER SECUNDUS

Capita continet tria, quorum Tituli sunt hi:

AXIOMATA

Capitis primi.

1. FRanci & Germani respectu originis eorum ac primitivæ lin-

linguæ unus atque idem ſunt Populus. pag. 45.

2. Reges Franciæ ex prima & ſecunda ſtirpe uſi ſunt Theotiſcâ, ſive Germanicâ linguâ. pag. 45. & 46.

3. Sub Regibus Franciæ ex prima & ſecunda Stirpe duplex lingua in Francia fuit in uſu, nempe Theotiſca ſive Germanica, quâ Rex ipſe unà cum Aulicis ſuis & Proceribus Regni uſus eſt, & Gallica ſive corrupta illa Latina, quâ uſus eſt vulgus, quæque tandem adeò prævaluit, ut nunc ſola in uſu ſit. pag. 46.

4. Sedes Monarchiæ Francicæ ſub Regibus ex prima & ſecunda ſtirpe fuit Aquiſgrani. pag. 46.

Contrarium vide pag. 3. utpote ubi aſſeritur Urbem Pariſinam à Clodovæi I. temporibus fuiſſe & etiam nunc eſſe Sedem Monarchiæ Francicæ.

5. Dominatio Monarchiæ Francicæ adeò dulcis & jucunda eſt, ut illi ipſi exteri populi, qui ab ea ſubjugantur

gantur, felices se ac fortunatos judicent. pag.47.

6. Colonia Agrippina & Cameracum sub Rege Clodovæo I. ad Monarchiam Francicam pertinuerunt, ideoque etiam nunc ad eandem pertinent. pag.47.& 48.

7. Gallia antiqua, quam Franci debellarunt, & Imperio suo subjecerunt, non fuit, ut vulgò creditur, Rheno, Oceano, Alpibus & Pyrenæis montibus tantùm terminata, sed comprehendit maximam partem totius Europæ. Per Galliam enim Togatam intelligenda est Lombardia, per Comatam Francia propriè dicta & Burgundia, per Braccatam verò Germania. pag.48.

8. Sedes Metropolitanæ trium Electorum Ecclesiasticorum, nempe Treveri, Moguntia & Colonia Agrippina, unà cum suis Suffraganeis sine ulla controversia sitæ sunt intra limites antiquæ Galliæ à Francis subjugatæ, ideoque etiam nunc ad Mo-

narchiam Francicam pertinent. pagina 48.

9. Gallia antiqua à Francis ſubjugata paulatim perdidit primum ſuum nomen, & à victoribus ſuis accepit nomen Franciæ; ideoque dividitur nunc Francia in Occidentalem, quæ eſt antiqua Gallia, & in Orientalem, quæ in meditullio Germaniæ ſita, Francorum fuit antiqua ſedes, & eam ob rem etiam nunc Franconia appellatur. pag. 49.

10. Quemadmodum omnes ſubditi unius ejuſdem Principis debent haberi pro uno populo, eâdem ratione quicquid Franci unquam acquiſiverunt & poſſederunt, id omne debet generaliter comprehendi ſub nomine Franciæ. pag. 49.

11. Solus titulus Regis Franciæ reclamat in perpetuum uſurpationi Imperatorum Germaniæ, & conſervat Coronæ Franciæ qualemcumque poſſeſſionem antiqui Patrimonij ſui, & ſuorum Jurium alienatorum. pag. 49.

12. Non

12. Non poteſt negari, Saxoniam, Thuringiam, Bavariam, & reliquas ferè omnes Provincias, quibus in præſens conſtat Imperium Germanicum, verum eſſe Patrimonium & antiquas acquiſitiones Regum Franciæ, ideoque etiam nunc ad Monarchiam Francicam pertinere. pag. 49. 50. 51. 52.

13. Inter Conditiones, quas Clodovæus I. ejus nominis Franciæ Rex, Germanis à ſe victis impoſuit, præcipua hæc fuit, ne unquam ampliùs crearent Reges ſuæ Nationis, ſed tantùm Duces, qui Coronæ Francicæ eſſent ſubjecti. pag. 50. 51.

14. Germani Monarchiæ Francicæ rebellantes ſibi ipſis potiùs faciunt injuriam & damnum, quàm Regibus Franciæ, quia Germanos nihil æquè reddit æſtimandos & animoſos, quàm commercium & conjunctio cum Francis. pag. 51. 52.

15. Tempore Imp. Juſtiniani & Theodeberti Regis Franciæ, ſubditi

fue-

ſuerunt Monarchiæ Francicæ Thuringi, Saxones, Treverenſes, Colonienſes, Moguntini, Wiſigothi & reliqui populi Germaniæ uſque ad confinia Pannoniæ. pag. 52.

16. Argentoratenſis Epiſcopatus à Franciæ Rege Dagoberto fundatus eſt; ideoque etiam nunc ad Monarchiam Francicam pertinet, uti conſequenter etiam reliqui omnes Archiepiſcopatus & Epiſcopatus Germaniæ, qui à Regibus Franciæ fundati ſunt. pag. 52.

AXIOMATA

Capitis secundi.

1. CArolus Martellus, qui fuit Major Domûs Regni Franciæ, poſſedit pleno Dominio Auſtraſiam & Thuringiam, eaſque in Teſtamento aſſignavit filio ſuo natu majori Carolo Magno, cui defuncto, frater ipſius Pipinus in ijſdem

Regionibus jure hæreditario successit. pag. 54. 55.

2. Pipinus Rex Franciæ Saxones aliquoties rebellantes vicit, & reddidit Monarchiæ Franciæ tributarios. pag. 55. 56.

3. Ducatus Bavariæ est unus ex antiquissimis Pariatibus Regni Franciæ, eamque ob causam Tassilo, Dux Bavariæ, non potuit evitare, quin novo Franciæ Regi Pipino ejusque Hæredibus, tanquam verus Vasallus, solenne præstaret homagium cum juramento fidelitatis, quemadmodum etiam post ipsum fecerunt omnes Proceres Bavariæ. pag. 57.

4. Tassilonis inconstantia & perfidia nihil derogavit juri, quod Monarchia Francica habuit & habet super Bavariam. pag. 56. 57. 58.

5. Monarchiæ Francicæ Imperium in Germaniam & Germanos elucet ex Comitiis à Rege Francorum Pipino habitis Wormatiæ, quippe quæ

Urbs eſt Imperialis & ſita in Palatinatu. pag. 58.

6. Monarchiæ Francicæ Imperium in Germaniam & Germanos elucet ex conſenſu Principum Franciæ requiſito ad fundationem Archiepiſcopatuum Moguntini & Colonienſis pag. 58. & 59.

7. Carolus Magnus ſucceſſione hæreditariâ evaſit eodem temporis momento Monarcha Germaniæ, quo Rex Franciæ. pag. 59.

8. Saxones à Carolo Magno debellati, perdito proprio ſuo nomine, cœperunt comprehendi communi nomine Francorum. pag. 60.

9. Antiqui Reges Franciæ ſub titulo Patriciorum Romanorum fuerunt Monarchæ Urbis Romæ, ideóque Summi Pontifices Romani eorum mandatis æquè fuerunt ſubjecti, quàm reliqui Epiſcopi Regni Franciæ. pag. 61.

10. Regni Franciæ & Eccleſiæ Gallicanæ Metropoles viginti &

una, quæ in Teſtamento Caroli Magni nominatim recenſentur, ſunt hæ: Roma, Ravenna, Mediolanum, Forum-Julij, Gradus, Colonia Agrippina, Moguntia, Salzburgum, Treveri, Senonæ, Veſontio, Lugdunum, Rothomagus, Rhemi, Arelate, Vienna, Tarentaſia, Ebrodunum, Burdigala, Turones & Avaricum Biturigum. pag. 61.

11. Regnum Franciæ comprehendit tempore Caroli Magni maximam partem Italiæ, totam Franciam hodiernis circumſcriptam limitibus, omnes ſeptendecim Provincias Belgij, & totam Germaniam. pag. 61.

12. Jugum Francicum ſub Carolo Magno adeò fuit dulce & jucundum, ut Galli, Aquitani, Burgundiones, Hiſpani, Alamanni & Bavari ſummam gloriam & maximè inſignem crediderint prærogativam vocari ſubditos Regis Franciæ.

13. Titulus Imperatoris & Auguſti, quo Carolus Magnus à Papa Leo-

ne III. insignitus est, nihilo quidem potentiorem eum reddidit; quàm reverà jam esset, eamque ob causam ipse Carolus Magnus titulum istum tanquam vanum & inanem adeò sprevit, ut abstinuisset ingressu Ecclesiæ, si præscivisset Papæ Leonis propositum. pag.62.

14. Bavaria à Carolo Magno facta est Provincia Regni Francicæ. p. 64.

15. Monarchiæ Francicæ Imperium in Germaniam & Germanos elucet ex Caroli Magni Comitiis Paderbornæ, Ratisbonæ, & Francofurti habitis. pag. 64.

16. Titulus Imperatoris, quo Carolus Magnus usus est, fuit titulus vanus sine ullo patrimonio. pag. 65.

17. Monarchia Francica tempore Ludovici Pij fuit extensa usque in Bulgariam. pag. 65.

18. Duces Austriæ tempore Ludovici Pij fuerunt vasalli Monarchiæ Francicæ. pag. 65.

19. Nomine Franciæ Orientalis,

quæ

quæ pars eſt Monarchiæ Francicæ, intelligitur tota Germania. pag. 65.

20. Nulla debet eſſe differentia inter Regem Franciæ & Imperatorem Romanum. pag. 66.

21. Primum alicujus momenti præjudicium & damnum, quod Monarchia Francica ab Imperio Germanico paſſa eſt, fuit illicita & crimino-ſa inſtitutio Regni Arelatenſis. pag. 66. 67.

22. Pontifices Romani debent injurias Regibus Franciæ illatas æquè ulciſci, ac ſi illatæ eſſent ipſi Sedi Apoſtolicæ. pag. 68.

23. Henricus Dux Saxoniæ, cognomine Auceps, fuit vaſallus Regni Franciæ, & tanquam rebellis invaſit Regnum Auſtraſiæ. pag. 68. 69.

24. Otto I. Henrici Aucupis filius, obtinuit à Rege Franciæ Auſtraſiam tanquam Pariatum Regni Franciæ cum conditione præſtandi homagium. pag. 69.

25. Imperium Regum Franciæ ex

tertia

tertia ſtirpe erit ſine fine, & ſine ullis limitibus. pag.71.

26. Monarchiæ Francicæ reunitæ futura duratio infinita apparet ex ſoliditate novorum Axiomatum, quibus ea nunc utitur. pag. 71.

27. Regum Franciæ ex tertia ſtirpe ſcopus & propoſitum præcipuum ac hæreditarium ſemper fuit, & etiam nunc eſt, oppugnare & deſtruere conatus & uſurpationes Imperatorum Germanicorum. pag. 71. 72.

28. Reges Franciæ ex tertia ſive hodierna ſtirpe ſemper habuerunt, & etiam nunc habent Populos & Principes Germaniæ pro ſuis vēris ſubditis & vaſallis, quemadmodum vice versâ Populi & Principes Germaniæ temporibus adverſis ſemper reſpexerunt Reges Franciæ, tanquam ſuos veros Dominos & Protectores. pag.72.

29. Fredericus Archiepiſcopus Colonienſis declaravit ſe Pariſiis ſolenniter vaſallum Coronæ Franciæ. A. 1378.p.72.

30.Prin-

30. Principes Imperii Germanici nullum aliud contra Imperatorem Carolum V. habuerunt asylum & refugium, quàm Franciam & auxilium atque protectionem Regis Henrici II. qui præmij loco contentus fuit recuperatione Divoduri Mediomatricum, Tulli & Viroduni; quæ Urbes fuerunt antiquæ portiones Regni Franciæ. pag.72.

31. Elector Treverensis in proximè superiori bello Germanico, videns se obnoxium furiis exercitûs Suecici, credidit nihil se posse facere melius, quàm submittere se protectioni Francicæ. pag.73.

32. Justitia prætentionum Regis Franciæ super Germaniam & Imperium Germanicum elucet ex cessione Alsatiæ, aliarumque nonnullarum Regionum Imperij per Tractatum pacis Monasteriensis. pag.73.

33. Rex Franciæ, dum Germaniam subjugat, nihil acquirit novi, sed tantùm antiquum Patrimonium suum

ſuum ab aliis injuſtè uſurpatum recuperat. pag. 74.

AXIOMATA

CAPITIS TERTII.

1. QVicumque non eſt re ipsâ abſolutus Urbis Romæ Dominus, is nec Imperator Romanorum eſt. pag. 74.

2 Carolus Magnus fuit abſolutus Vrbis Romæ Dominus beneficio potentiſſimi exercitûs, cum quo intravit Italiam. pag. 74.

3. Carolus Magnus & omnes ejus ſucceſſores, qui ſimul Reges Franciæ fuerunt & Imperatores Romani, ſupremum & abſolutum habuerunt Imperium non ſolùm in Vrbem Romam, verùm etiam in ipſos Summos Pontifices Romanos. pag. 74. 75. 76.

4. Pontifices Romani appellarunt Imperatores Romanos, qui ſimul etiam Reges Franciæ fuerunt, Dominos ſuos. pag. 75.

5. Tem-

5. Temporibus Imperatorum Romanorum, qui ſimul etiam fuerunt Reges Franciæ, neceſſarius fuit ad confirmandam novi Pontificis electionem conſenſus Imperatoris. pag. 75. 76.

6. Imperatores Romani, qui ſimul etiam fuerunt Reges Franciæ, habuerunt Populum Romanum per juramentum fidelitatis æquè ſibi ſubjectum & obſtrictum, atque alios ſuos ſubditos, ideoque ſummos Magiſtratus miſerunt Romam, qui vice ſuâ abſolutam juriſdictionem ibi exercerent. pag. 75. 76.

7. Liberatio Germanorum à jugo Francico, quæ contigit poſt mortem Ludovici IV. qui ultimus ex familia Caroli Magni fuit Imperator Romanus, nihil aliud fuit quàm violenta rebellio & injuſta uſurpatio alieni juris. pag. 77.

8. Primi & præcipui Principes Germaniæ, qui poſt mortem Ludovici filii Arnulphi Monarchiæ Fran-

ciæ jugum excusserunt, fuêre Henricus Dux Saxoniæ & Thuringiæ, cognomine Auceps, Arnoldus Dux Bavariæ, Burchardus Dux Sueviæ, Everardus Dux Franconiæ, & Gilbertus Dux Lotharingiæ. pag. 77.

9. Ridiculum dictu est Imperium Romanum non superesse in Germania. pag. 77.

10. Regnum Germaniæ qualitate & naturâ suâ omninò diversum est ab Imperio successorum Caroli Magni. pag. 78.

11. Imperium Germanicum respectu Monarchiæ Francicæ est tyrannis & nova atque injusta dominatio. pag. 78.

12. Pontifices Romani augendæ propriæ potentiæ causâ maluerunt Regibus Germaniæ tribuere imaginarium & vanum titulum dignitatis Imperatoriæ, quàm Regibus Italiæ; quippe quorum potentia propter nimiam vicinitatem ijs suspecta fuit tanquam periculosa. pag. 78. 79.

13. Otto,

13. Otto, Henrici Aucupis filius, eſt ſecundùm communem opinionem primus Imperator Germaniæ. p. 79.

14. Papa Gregorius V. amore Nationis Germanicæ, utpote & ipſe Germanus, primus dedit Principibus Germaniæ Privilegium, ut illi ſoli poſſent Imperatorem eligere. p. 79

15. Privilegium eligendi Imperatorem, Principibus Germaniæ à Papa Gregorio V. conceſſum, licet favorabile videatur, reverà tamen ignominioſum eſt & noxium Imperatoribus Germaniæ, quia per illud declarantur Feudatarij & Vaſalli Sedis Apoſtolicæ. pag. 80.

16. Pontifices Romani nec agnoverunt unquam, nec agnoſcunt Imperatores Germanicos pro Dominis Urbis Romæ, & conſequenter nec pro veris Imperatoribus, pag. 80.

17. Delectores Imperij, cùm ſint tantùm Germani, non poſſunt dare Monarcham, niſi ſoli Nationi Germanicæ. pag. 80. 81.

18. Privilegium eligendi Imperatorem, à Papa Gregorio V. solis Principibus Germaniæ concessum, occasionem Pontificibus Romanis præbuit arrogandi sibi decisionem omnium causarum ad Imperium pertinentium, ut & administrationem Imperij tempore interregni, atque abdicationem Imperatorum. p. 81. 82.

19. Imperatores Germanici subjecti sunt jugo Papali. pag. 84.

20. Extrema differentia, quæ est inter Carolum Magnum & novos Imperatores Germanicos, apparet inprimis ex modo coronationis. Carolum enim Magnum, cùm coronaretur, adoravit ipse Papa Leo III. at vice versâ Imperatores Germanici osculantur pedes Pontificum. pag. 85.

21. Pontifices Romani arrogarunt sibi honorem adorationis pedum, postquam Imperatoribus Romanis ethnicis in absoluto Urbis Romæ dominio successerunt. pag. 85. 86.

22. Regibus Franciæ debetur ho-

nor adorationis & osculationis pedum. pag. 85. 86.

23. Coronationem Caroli V. per Pontificem Clementem VII. nec secuta est, nec deinceps unquam sequetur alia coronatio Imperatoris per Pontificem, idque præsignificatum fuit fortuitâ rupturâ istius ambulacri, per quod Carolus V. tempore coronationis ex Palatio Episcopali Bononiensi in Ecclesiam Cathedralem transiit. pag. 87. 88.

24. Cum Carolo V. desiit Imperium Germanicum, utpote qui ultimus à Pontifice Romano coronatus est. pag. 88.

25. Electus Imperator non est verus Imperator ante coronationem per Romanum Pontificem. pag. 88.

26. Quotquot post Carolum V. usque ad hunc diem electi Imperatores Germanici, eorum omnium electio nulla est & illegitima, quia Electores Hæretici, quales sunt Dux Saxoniæ, Marchio Brandenburgensis,

& Comes Palatinus Rheni, non sunt ampliùs veri & legitimi Electores. pag.90.& 91.

27. Duces Saxoniæ & Duces Bavariæ sunt Feudatarij & Vasalli Coronæ Francicæ. pag.91.

JUSTARUM PRÆTENTIONUM REGIS SUPER IMPERIUM

LIBER TERTIUS.

Capita continet tria, quorum Tituli sunt hi:

AXIOMATA

Capitis primi.

1. DIgnitas seu potius Qualitas Imperialis, quam Papa Leo III. Carolo Magno tribuit, fuit prorsùs imaginaria, nec potuisset subsistere sine Corona Regni Franciæ. pag.98.

2. Cùm in toto terrarum orbe nulla sit Monarchia magis absoluta & ab aliena potestate minus dependens, quàm Francica, meritò Regibus Franciæ licitum est, per se ipsos & sine Summi Pontificis vel alterius personæ adminiculo assumere pro lubitu qualitatem & titulum Imperatoris. pag.98.99.

3. Cujusque gubernationis dignitas non consistit in titulo, sed in statu absolutæ dominationis. pag.99.

4. Reges Franciæ, prout iis lubuit, nonnunquam quidem usi sunt titulo Imperatoris, noluerunt tamen eo

constanter uti, quia veterem suum titulum Regium majori veneratione dignum censuerunt, quàm Imperatorium. pag. 99.

5. Imperatores Germaniæ Otto Primus, Secundus & Tertius hoc ipso, quia fuerunt Duces Saxoniæ, fuerunt simul etiam per consequentiam Vassalli Monarchiæ Francicæ. pag. 100.

6. Rex Franciæ Carolus VIII. fecit se per Papam Alexandrum VI. Romæ solenniter proclamari Imperatorem Constantinopolitanum, & Romæ exercuit actus maximè essentiales absoluti & supremi dominij. pag. 101.

7. Rex Franciæ Franciscus I. per Papam Leonem X. Bononiæ fuit proclamatus Imperator Orientis: quam dignitatem affectavit æmulatione Imperatorum Germaniæ, quippe qui multò recentiores sunt, quàm Imperatores Orientis. pag. 101.

8. Rex Franciæ Franciscus I. Carolum

rolum V. licet jam electum Imperatorem nunquam in litteris ad Legatos ſuos aliter appellavit, quàm Regem Caſtiliæ. pag. 101.

9. Corona Regia aperta & radiata antiquior & dignior eſt Coronâ Imperiali, clausâ, quæ inſtar mitræ eſt, pag. 101. 102.

10. Reges Franciæ in conſecratione ſua utuntur etiam nunc utraque Coronâ, nempe Regiâ apertâ & Imperiali clausâ ad ſignificandam perpetuam conjunctionem Imperij Occidentis & Monarchiæ Francicæ. pag. 102. 103.

11. Corona Imperialis clauſa inſtar mitræ eſt reſpectu originis ſuæ indicium cujuſdam ſubjectionis & debiti erga Sedem Apoſtolicam. pag. 103.

12. Pontifex Urbanus V. primus uſus eſt Coronâ triplici æmulatione Imperatorum Germaniæ, qui abſurdè gloriabantur de tribus Coronis, nempe de Coronâ argenteâ Regni Ger-

Germaniæ, quæ capiebatur Aquisgrani, de Corona ferrea Regni Italiæ, quæ capiebatur Mediolani, & de Coronâ aureâ Imperij Romani, quæ capiebatur Romæ. pag. 105. & 81.

13. Ex jure abdicationis, quod Pontifices Romani super Imperatores Germanicos sibi arrogarunt, orta est frivola illa & ambitiosa & in Francia prorsùs damnata nonnullorum Pontificum Romanorum prætentio super dominiúm temporale aliorum etiam Principum, qui non sunt Vasalli & Feudatarij S. Sedis Apostolicæ. pag. 105.

14. Jam memorata nonnullorum Pontificum Romanorum detestabilis prætentio adversatur doctrinæ Evangelij & Sanctorum Patrum. pag. 105. 106.

15. Duo sunt in terra Vicarij sive Locum tenentes generales Divinæ Majestatis, nempe Papa, qui est imitator Clementiæ Divinæ, ideoque non debet uti gladio, & Rex Franciæ,

ciæ, qui eſt imitator ſupremæ juſtitiæ Divinæ, ideoque debet eſſe armatus gladio. pag. 106. 107.

AXIOMATA

Capitis secundi.

1. FRanci præ aliis omnibus Nationibus naturâ liberi ſunt, & impatientes jugi atque alienæ dominationis. pag. 107.

2. Monarchia Francica eſt omnium puriſſima maximeque Regia. pag. 10.

3. Ex qualitate Legati judicatur ordinariè de dignitate & magnitudine Principis, ad quem is mittitur. pag. 108. 109.

4. Natio illa trans-Alpina, cui Tacitus refert per antiquum quoddam oraculum, vel minimùm per antiquam quandam traditionem, certò promiſſam fuiſſe Dominationem ſive Imperium abſolutum totius Terrarum Orbis, ea eſt Natio Francica.

5. Suc-

5. Succeſſio maſculina, quæ ſola, fœminis prorſus excluſis, in Monarchia Francica in uſu eſt, præſignificata fuit à Chriſto, ipſo dicente: *Lilia non nent.*

6. Verſus Virgiliani:

Dic quibus in terris inſcripti nomina Regum
Naſcantur flores, & Phillida ſolum habeto.

tanquam oraculum aliquod de Monarchia Francica, ejuſque futura magnitudine intelligendi ſunt.

7. Titulus Chriſtianiſſimi ſolis debetur Regibus Franciæ, tanquam veris Succeſſoribus Imperatoris Conſtantini Magni. pag. 115. 116. 117.

8. Novus Papa eſt obligatus ſtatim poſt conſecrationem ad Reges Franciæ. pag. 118.

9. Cùm Urbes & Provinciæ, à Pipino & Carolo Magno Eccleſiæ Romanæ donatæ, pertinuerint ad Patrimonium Coronæ Francicæ, nec donatio illa aliter ab iis fuerit facta, quàm quatenus fuerunt Reges Franciæ, minimè dubium eſt, quin omnis

iſtius

iſtius donationis gloria, & omne ejus commodum etiam nunc attribui debeat hodiernis Regibus Franciæ, tanquam eorum ſucceſſoribus non autem aliis ullis Principibus. pag. 119.

10. Cùm Reges Franciæ per donationes, à Pipino & Carolo Magno Eccleſiæ Romanæ factas; evaſerint non ſolùm benefactores, verùm etiam Patroni & Fundatores temporalis Patrimonii Eccleſiæ, jure ac meritò S. Sedes Apoſtolica debitæ gratitudinis causâ iis conceſſit titulum Auguſtorum & Imperatorum; eodemque titulo privari non poſſunt, cùm is donatarum Urbium & Provinciarum loco ſit.

11. Uti Pontifices Romani erga Reges Franciæ, tanquam Patronos ſuos & Fundatóres Patrimonii ſui temporalis, neceſſariò debent eſſe grati, ſic vice versâ; ſi iidem ſint ingrati jure poſſunt privari Urbibus & Provinciis, quæ ipſis donatæ ſunt. pag. 120.

12. Reges Franciæ reverâ sunt Advocati & Defensores Ecclesiæ Romanæ; falsò autem & injustè illum titulum usurpârunt & usurpant Imperatores Germaniæ. pag. 120. 121. 122. 123. 124. 125.

13. Deus elegit Reges Franciæ tanquam præcipuum propugnaculum defendendæ Reipublicæ Christianæ. pag. 127.

14. Summo jure Franci conquerentur de ingratitudine & effrænatâ ambitione Papæ Bonifacii VIII. qui antiquam possessionem Imperii Romani, à Germanis injustè usurpatam, non solùm Francis non restituit, uti Regi Philippo Pulchro promiserat, verùm etiam eundem Regem variis frivolis & injuriosis prætentionibus irritavit. pag. 128.

15. Ipse Ludovicus, Nonus ejus nominis Franciæ Rex, licet Sanctus, opposuit se machinationibus Curiæ Romanæ contra libertatem Ecclesiæ Gallicanæ. pag. 128.

16. Com-

16. Communis eſt opinio Pontifices Romanos nec Urbem Romam, nec quidquam aliud in Italia poſſidere, niſi libertate & permiſſu Regum Franciæ? pag. 129.

17. Eccleſia Romana exemplo Chriſti & Sanctorum Apoſtolorum debet eſſe pauper non autem dives. pag. 129.

18. Juriſconſulti Francici pro certa habent regula, Eccleſiam Romanam per ſe nec habere, nec poſſe habere ullum territorium. pag. 129.

19. Pontifices Romani non poſſident Urbem Romam donatione Imperatoris Conſtantini Magni, ſed partim negligentiâ Imperatorum abſentium, partim nimiâ Principum recens converſorum reverentiâ erga Summos Pontifices. pag. 130.

20. S. Gregorius Magnus & alii nonnulli Pontifices Romani, coluerunt Imperatores Conſtantinopolitanos, tanquam ſupremos Urbis Romæ Dominos, & conſequenter aſſerue-

ruerunt ſe eſſe eorum ſubditos & vaſallos. pag. 130.

21. Patriciatus Imperii Romani Occidentalis ſucceſſit in locum ipſius Majeſtatis Imperatoriæ. pag. 131.

22. Reges Franciæ acceperunt ab Imp. Anaſtaſio Dicoro, & etiam nunc obtinent Patriciatum Imperii Romani Occidentalis jure hæreditario, & conſequenter etiam ſupremum & abſolutum Urbis Romæ, & totius Italiæ dominium. pag. 131. 132. 133.

23. Virtute & induſtriâ Caroli Magni incorporatum eſt Imperium Romanum Imperio Francico, ita ut ex duobus factum ſit unum. pag. 133.

24. Carolus Magnus, quatenùs Rex Franciæ, fuit non ſolùm Rex totius Europæ, verùm etiam Rex Univerſalis & Monarcha totius Orbis terrarum. pag. 134.

25. Carolus Magnus potentiam, dignitatem & gloriam ſuam non debuit Papæ, ſed propriæ ſuæ virtuti. pag. 134.

26. Im-

26. Imperatores Germaniæ nunquam auſi ſunt ſibi arrogare aliquam authoritatem Romæ tanquam Patricii Romani propter jus hæreditarium, quo Patriciatus ille pertinet ad Reges Franciæ. pag. 135.

27. Inter Reges Franciæ & Imperatores Conſtantinopolitanos magna eſt conformitas reſpectu unctionis & habitus. pag. 136. 137.

28. RegnumFranciæ celebrius eſt Imperio Romano.

29. Inſignis Fortitudo & magnæ Victoriæ, quibus Romani veteres præcipuam ſibi acquiſiverunt æſtimationem ac gloriam, non ſolùm non ſuperant, ſed nec æquant fortitudinem & victorias Francorum, ſi Gallorum & Germanorum expeditiones expeditionibus Francicis annumerentur.

AXIOMATA

CAPITIS TERTII.

1. ABſurdum eſt comparare antiquos Imperatores Romanos cum novis Imperatoribus Germaniæ. pag. 139.

2. Nemo niſi prorsùs expers rationis negare poteſt Imperatores Germanos omnibus modis inferiores eſſe Regibus Franciæ, nec poſſe cum ijs contendere vel de antiquitate, vel de abſoluta & independente dominatione, vel de potentia. pag. 139.

3. Antiquitas Monarchiæ Francicæ elucet ex titulo primitivi Filij Eccleſiæ, qui debetur ejus Regibus etiam nunc jure hæreditario. pag. 140. 141.

4. Titulus Primitivi Filij Eccleſiæ dat Regibus Franciæ jus Proëdrias ſive Præſidentiæ ſuper alios omnes Principes. pag. 142.

5. Reges Franciæ tanquam Primitivi Filij Eccleſiæ, non autem Impera-

peratores Germanici debent præside-re in Concilijs. pag. 142. 143.

6. Monarchæ Francici semper & legitimè habuerunt, & etiam nunc habent jus præeminentię super omnia Capita coronata. pag. 143.

7. Inter omnes Nationes illa debet præcedere, quæ prima accepit lumen Evangelij. pag. 143.

8. Omnes ferè Populi debent Francis conversionem suam ad Religionem Christianam, sed præcipuè Germani, Hispani, Angli & Poloni. pag. 143. 144.

9. Titulus Regis Catholici debetur secundùm S. Gregorium Magnum peculiari quadam prærogativâ Regibus Franciæ. pag. 146.

10. Imperatores Germaniæ sunt inferiores Regibus Franciæ, quia illorum Majestas dependet à benevolentia & electione aliena. pag. 147.

11. Principatus qui defertur per successionem hæreditariam. pag. 147.

12. Princeps electus similis est astro lucenti lumine alieno.pag.148.

13. Frater Regis Franciæ, & consequenter quicunque Princeps Regij sanguinis, propter spem hæreditariæ successionis dignior & excellentior est electo Imperatore Germaniæ. pag. 148.

14. Lotharingia jure hæreditario pertinet ad Monarchiam Franciæ. pag. 150.

15. Rex Franciæ magis absolutè imperat, quàm nullus alius Rex. pag. 150.

16. Rex Franciæ Ludovicus XIV. meritò cognominatur A DEO-DATUS, quia à Deo electus est ad restaurandam antiquam Monarchiam Francicam. pag. 151.

17. Imperatores Germanici subjecti sunt Capitulationi Electionis suæ ideoque nihil habent veri imperij, sed tantùm nomen. pag. 151.

18. Imperatoribus Germanicis non est licitum imponere contributiones

tiones maximè necessarias, indicere bella maximè justa, & concludere tractatus maximè utiles. pag. 151.

19. Imperatorum Germaniæ authoritas adeò exigui momenti est, ut ipsi Germani eam vix agnoscant ampliùs, sed Imperatoribus suis aut imperent, aut minimùm eos tractent tanquam æquales. pag. 151. 152.

20. Electores & reliqui Principes Imperii Germanici tantam habent in ditionibus suis authoritatem, quantam Imperator in Imperio, unde sequitur Imperatoriam dignitatem nihil esse præter umbram & speciem. pag. 152. 153.

21. Quod Imperator Germaniæ Maximilianus I. se appellavit Regem Regum respectu effrœnatæ potentiæ Electorum & cæterorum Principum Germaniæ, idem est ac si se appellasset Dominum sine subditis. pagina 153.

22. Rex Franciæ reverà est Rex Regum totius Orbis terrarum. p. 153.

23. Re-

23. Reges Angliæ exhibuerunt olim Regibus Franciæ honorem tanquam ſuis Dominis. pag. 155.

24. Reges Angliæ tanquam Duces Guyennę & Normandię fuerunt olim Vaſalli Monarchiæ Francicæ. p. 154.

25. Antiqui Reges Burgundiæ inde à Clodovæi I. temporibus fuerunt Vaſalli Monarchiæ Francicæ. pag. 154.

26. Monarchiæ Francicæ Vaſalli ſunt potentiſſimi quique totius Europæ Monarchæ, ne Imperatore quidem Germanico excepto, utpotè cum Imperator Carolus V. Vaſallus fuerit regni Franciæ reſpectu Comitatuum Flandriæ & Artheſiæ. pag. 154.

27. Philippus Pater Imp. Caroli V. homagium præſtitit Regi Franciæ tanquam Comes Flandriæ. pag. 156.

28. S. Ludovicus Rex Franciæ noluit accipere à Papa inveſtituram Regni Neapolitani, ne eſſet ullius Feudatarius. pag. 156.

29. Rex Franciæ eſt Dominus omnium Dominantium. pag. 156.

30. Imperatores Germaniæ, quatenùs Imperatores, ne unicum quidem digitum terræ in Germania poſſident, ſed ſunt Domini ſine ſubditis. pag. 157.

31. Titulus Imperatoris vanus & imaginarius affert Imperatoribus Germaniæ nihil niſi damnum & incommodum. pag. 157.

32. Injuria fit Regibus Franciæ, ſi eorum potentia comparetur cum potentia Imperatorum Germaniæ. pag. 158.

33. Monarchiæ Francicæ poſſeſſio eſt ſummum Bonum poſt Divinitatem. pag. 158.

34. Si ulla adhuc ſuperfuiſſet dubitatio de Præeminentia Regis Franciæ ſuper Imperatorem, etiam plenè ſublata eſſet per Mariam Tereſiam; Regis Hiſpaniæ filiam natu majorem, utpote quæ poteſtatem habens eligendi mariti, Regem Franciæ Ludo-

vicum XIV. Imperatori Germaniæ LEOPOLDO I. ſummâ prudentiâ prætulit. pag. 158.189.

35. Delphino Franciæ, ex matrimonio Regis Ludovici XIV. & Reginæ Mariæ Tereſiæ nato, promittunt omnes rerum circumſtantiæ infallibiliter futurum Imperium totius maris & totius terræ, & conſequenter Monarchiam Univerſalem.

FINIS.

